

ipsi entitati, loquitur de veritate secundum primam habitudinem tantum; quando autem dixit addere aliquid rationis supra ens, loquitur juxta secundam habitudinem: et vere sic dicendum est, quia licet prima habitudo sit principalior, et intimior in veritate transcendentali, non tamen superaddere dicitur ad ens, quia est ipsa entitas rei ut dependens a Deo ipsique intime imbibita; quare sub ista habitudine præcise nondum intelligitur superaddere ad ens, sed ipsi æqualiter, et transcendentaliter identificari. Solum ergo incipit addere supra ens, quando incipit connotare secundam habitudinem, quæ est aliquid rationis: nam supra ens non potest addi quod est intra ipsum ens, seu entitas ipsa: si ergo addit supra totum ens, aliquid solum rationis esse potest. Et ita verum addit ad ens, non pro ea parte præcise quæ dicit perfectionem veritatis in se per passivam adæquationem, et regulationem sui ad Deum, seu ideas divinas, sed pro ea parte, qua est perfectivum intellectus creati; sic enim non reali habitudine, et dependentia se habet ad illum, sed habitudine rationis, quatenus objectum ejus est. Unde signanter D. Thomas q. 1 de verit. art. iv et viii dicit quod verum addit supra ens habitudinem ad intellectum divinum, vel humanum, ut ibi non solum involveret habitudinem realem quam habet veritas ad Deum, sed etiam rationis, quam superaddit ad ens dum connotat ordinem ad nostrum intellectum: in quæstione autem xxi de verit. art. i et in i, dist. xix, q. v, art. i, in fine corporis, ubi expressius distinxit quid adderet verum super ens, ostendit addere aliquid rationis, in quantum est perfectivum nostri intellectus.

XXIII. Secundo, infertur verita-

tem transcendentalem optime dici passionem entis, quod male negat Vasquez hic disp. lxxvii, c. v, sed tamen communiter in metaphysica appellantur passionem entis unum, verum, et bonum, quia omne ens necessario concomitantur, et non explicant ipsum constitutivum entitatis, sed connotationem, aut concomitantiam constituti. De quo videri potest S. Thomas q. xxi de ver. a. i et q. i de ver. i et in præsentibus articulo tertio. Aliter autem considerandæ sunt passionem in rebus prædicamentalibus, v. g. in substantia, quæ habet pro passionibus aliqua accidentia, aliter in transcendentalibus, vel in Deo: nam transcendentale ut ens non potest habere pro passione aliquid omnino extra se, et distinctum a se, sicut substantia habet pro passione aliquod accidens, quia id quod est transcendens, intime imbibitur in omnibus, et sic non potest omnino secerni, et distingui ab eo quod est passio; sed solum distinguuntur passionem in transcendentalibus penes diversas connotationes et expressiones ejusdem rei, ut notat D. Thomas quæstione prima de ver. citata, art. i, sicut etiam attributa divina concipiuntur a nobis per modum passionum, non quæ sint distinctæ ab essentia Dei, sed quæ diversum in nobis conceptum exprimunt ab essentia. Et sic ipsum ens ut in se habens esse, et prædicata constitutiva pertinet ad conceptum essentiæ: ut autem incipit exprimere connotationem aliquam extra se, v. g. comparisonem ad intellectum, vel ad voluntatem, sic ipsum ens ut comparative, se habet ut propria passio suimet ut absolute. Nec tamen ut exprimit habitudinem realem præcise importat passionem, quia prout sic adhuc intra limites ipsius entitatis continetur ut entitas est, et sic non explicat, ne-

que connotat aliquid ultra ipsam, quo se habeat ut passio, sed adhuc ipsam entitatem solum explicat: potius ergo dicitur veritas superaddere respectum rationis ad conceptum entis, licet prius includat habitudinem illam priorem ad intellectum divinum cui conformatur, quia per hanc priorem habitudinem, quæ entitativa est, adhuc entitas ipsa consideratur, non connotatio superaddita, quæ rationis solum esse potest, si superadditur ad ens.

XXIV. Tertio, colligitur quod licet D. Thomas dixerit veritatem primario, et proprie reperiri in intellectu, quia ibi solum est veritas formalis, in rebus autem non est veritas formalis intrinsece, et proprie, sed solum transcendentalis, quæ est fundamentum, et objectum formalis, non tamen dixit quod veritas formalis est perfectior, aut nobilior quam entitativa, et transcendentalis, neque hoc necessarium est: dicitur enim veritas formalis (quæ est in intellectu) primaria in ratione, et denominatione veri, non quia principalior, aut nobilior, sed quia ibi completur, ut consummetur motus, et tendentia veritatis. Ut autem advertit Thomas q. i de ver. art. ii, in illis quæ dicuntur per prius, et posterius de multis, non semper requiritur quod id quod per prius recipit prædicationem, sit ut causa aliorum, sed illud in quo primo ratio illa communis completur, sicut sanum per prius dicitur de animali, et tamen medicina est causa sanitatis. Verum autem completur intra intellectum, quia cum cognitio veretur circa verum, sicut voluntas circa bonum, debet verum consummari intra intellectum, quia cognitio perficitur trahendo objectum ad se. Non ergo dicitur veritas primario de veritate formalis nostri intellectus, quia illa

perfectior sit transcendentali a qua regulatur, sed quia in intellectu consummatur, et completur motus veritatis, et manifestatio ejus trahendo objectum ad se; in artificialibus autem veritas eorum, quæ est in re, etiam dependet a veritate formali artificis creati, sicut veritas naturalis a Deo: sed tamem veritas artificialis non est transcendentalis, et communis omni enti.

XXV. Ultimo, colligo in veritate transcendentali habitudinem regulationis passivæ ad divinum intellectum ideantem, et regulantem non esse conformitatem aptitudinalem, sed actuaalem, habitudinem autem ad nostrum intellectum non debere esse actuaalem conformitatem, sed sufficere aptitudinalem, quatenus perfectivum est nostri intellectus, non autem semper actu perficiens. Sumitur ex D. Thomas q. i de ver. a. ii ad iv, ubi inquit, quod: « In definitione rei veræ potest poni visio in actu intellectus divini, non autem visio in actu intellectus creati, nisi in potentia tantum. » Et ratio est, quia veritas, sicut et entitas creata semper actu pendet, et participatur a Deo, si vera est, non autem in potentia tantum, nisi desinat esse, et maneat in statu possibilitatis: at vero quod actu moveat, aut cognoscatur ab intellectu creato, accidentarium illi est; nec enim veritas transcendentalis pendet ab intellectu creato, sed a divino: unde si Deus removeret modo omnem intellectum creatum, et remanerent reliquæ creaturæ, tam veræ manerent, tamquam nunc sunt, etsi nullum creatum intellectum actu moverent: sufficit ergo ad veritatem transcendentalem, quod possit movere intellectum creatum, etsi non actu moveat, requiritur autem quod actu participetur ab intellectu divino, si actu datur veritas. Quod si res pereat, dicitur adhuc



manere veritas illius rei non in se actu, sicut enim actu non est entitas, ita nec veritas, quæ ad eam sequitur, et cum illa identificatur; dicitur tamen remanere veritas, quia vel manet in memoria, seu intelligentia creati intellectus, vel si omnis intellectus creatus deesset, maneret in intellectu divino, quo sublato nulla esset veritas. Videatur D. Thomas quæstione prima de verit. citata, art. II.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVI. Primo, arguitur auctoritatibus ad probandum non esse veritatem in rebus, sed ordinem ad veritatem, quæ solum est in intellectu. Nam imprimis philosophus I periherm. I et VI, met. c. II docet: « Veritatem solum esse in compositione, et divisione; » et ibidem textu VIII dicit quod: « Verum et falsum non est in rebus, sed in mente; » quod etiam ex ipso affert S. Thomas in præsentī articulo primo in argumentum Sed contra. Ergo secundum philosophum non invenitur veritas in rebus, sed in intellectu; in rebus autem solum est ordo ad veritatem.

XXVII. Confirmatur, quia S. Thomas dicit hic q. XVII, art. I, quod cum verum et falsum opponuntur, ibi primum quærenda est falsitas, ubi primum veritas invenitur: falsum autem a D. Thoma ibi, et a philosopho V met. c. XXIX non ponitur in rebus, sed in mente, res enim falsæ esse non possunt in se, quia id quod sunt, vere sunt, quod autem non sunt, non dicuntur falso esse, sed absolute non esse, nec enim homo est falsus equus, quia non est equus, alias omnis res falso esset alia, quod non est: ergo similiter veritas solum est in mente, et non in rebus, quia eadem ratio con-

trariorum est. Et in hac consequentia a falsitate ad veritatem, fere tota vis rationum Vasquez versatur, quia si non est falsitas in rebus, neque veritas.

XXVIII. Respondetur Aristotelem manifeste loqui de veritate formali, quando dicit illam esse solum in mente, quod et nos libenter fatemur, solum enim transcendentalem veritatem ponimus intrinsece in rebus, formalem in intellectu, et inde denominative ad res. Hæc explicatio est D. Thomæ I periherm. lect. ubi inquit: « Veritas in aliquo invenitur dupliciter; uno modo sicut in eo quod est verum: alio modo sicut in dicente, vel cognoscente verum, invenitur autem veritas sicut in eo quod est verum tam in simplicibus, quam in compositis; sed sicut in dicente verum non invenitur nisi secundum compositionem, et divisionem. » Quod ibi probat ex philosopho VI ethic. et ostendit quomodo res non dicantur veræ essentialiter, vel formaliter per ordinem ad nostrum intellectum speculativum, sed per ordinem ad intellectum artificiantem, et ideantem, sicut res omnes naturales per ordinem ad intellectum divinum, qui eis tribuit formam suam. Et subdit s. doctor quod philosophus in VI met. dicit quod: « Veritas est solum in mente, scilicet sicut in cognoscente veritatem, » quod pertinet ad veritatem formalem. Manifeste ergo D. Thomas explicat utrumque locum philosophi de veritate formali, quam nos dicimus esse intrinsece solum in intellectu, in rebus autem denominative, sicut de sanitate formali dictum est sæpe. Veritas autem transcendentalis, quæ est fundamentum veritatis formalis, in rebus est intrinsece.

XXIX. Ad confirmationem res-

pondetur verissimum esse quod ibi primo invenitur falsitas, ubi et veritas, scilicet falsitas formalis; nam falsitas transcendentalis dari non potest, sicut veritas transcendentalis; cum enim veritas sit passio entis, et sequatur omne ens, ut comparatum, et adæquatum divinis ideis respectu quarum non potest esse deficientia in rebus, atque adeo nec falsitas, quia quidquid in rebus est, ex aliqua idea divina est, et sic impossibile est quod falsitas transcendentalis invenitur, id est, quæ per omne ens transcendat, et omni enti conveniat, aut in entitate ipsa imbibatur intime; et impossibile est quod falsitas invenitur per inadæquationem, et deficientiam ab idea, et intellectu divino, respectu tamen cuius veritas invenitur, et adæquatio. Quare falsitas solum potest inveniri in rebus penes aliam habitudinem, scilicet per ordinem ad intellectum nostrum, cuius veritas est regulativa, non penes intellectum divinum, a quo solum est regulata: respectu enim intellectus nostri potest aliquid deceptivo, et simulatorie se habere, quatenus convenit aliquid cum alio in similitudine accidentium, et non in substantia, per illam autem similitudinem fallit, et in aliud inducit, seu declinare facit. Et hæc est falsitas rei, unde non omni rei convenit respectu ejus quod non est, sed solum convenit rei habenti similitudinem accidentalem cum alio, et sic occasionantem deceptionem. Quare falsitas solum contrariatur vero entitativo in una habitudine, scilicet in ea qua ad intellectum nostrum importat verum; in ordine enim ad illum dari potest deceptio, seu occasio, et fundamentum deceptionis ex parte rerum, non respectu intellectus divini. Quando autem dicit philosophus quod falsum non invenitur in

rebus, loquitur de falso formali, sicut idem dicit de veritate: non tamen negat inveniri etiam falsitatem objective in rebus, eo modo quo res possunt occasionare deceptionem; dicit enim quod: « Falsum dicitur uno modo ut res falsa, et hujus quidem quod non componitur, etc. » ubi et designatur veritas formalis respectu compositionis, et objectiva respectu hujus quod est res dici falsa. Et similiter dicit quod: « Res falsæ dicuntur, aut quia non sunt, aut quod phantasia ab eis facta entis non est. » Ubi in ly quod non sunt falsitas objectiva, in ly quod phantasia entis non est formalis falsitas designatur.

XXX. Secundo, arguitur ad probandum veritatem non posse consistere in commensuratione ad intellectum divinum, quia veritas transcendentalis in eo debet consistere quod superaddit ad ens, quia habet se ut passio entis, et conceptus ejus formalis a conceptu entis distinguitur: ergo in eo in quo distinguitur, et quod superaddit ad ens debet consistere: sed habitudo ad intellectum divinum, ut ideantem, est realis in qualibet creatura: ergo talis adæquatio non potest formaliter pertinere ad veritatem transcendentalem. Consequentia patet, quia cum realis sit, ad ipsam entitatem pertinet: non ergo ad passionem entis, et ad id quo distinguitur verum ab ente. Minor etiam est manifesta, et a nobis concessa, quia illa dependentia qua res dependent ab ideis divinis, et regulantur ab illis realis est, fundatur etiam in causatione reali: illa ergo non constituit veritatem in ratione passionis entis, et ut aliquid ei superadditum, et condistinctum, sed adhuc ad ipsam rationem entitatis, et realitatis pertinet: ergo non importatur formaliter in conceptu veritatis.



XXXI. Confirmatur, quia veritas ut transcendentalis debet inveniri non solum in rebus creatis, sed etiam in Deo: in Deo autem veritas non includit illam habitudinem commensurationis ad intellectum divinum, qui ab eo non pendet: ergo neque id potest esse de ratione veritatis ut transcendentalis.

XXXII. Confirmatur secundo, quia potius illa habitudo ad ideas, et ad intellectum fundatur in veritate transcendentali, et supponit illam, quam constituit; ergo formaliter non pertinet ad illam. Antecedens probatur, tum quia illa habitudo fundatur in ista creatura ut facta per istas ideas potius quam per alias; nec enim aliud fundamentum habet quam creaturam ipsam: ergo jam supponit propriam, et determinatam speciem hujus rei sibi datam et attributam ab ideis: ergo supponit veritatem rei, hæc enim consistit in eo quod sibi tamquam proprium, et legitimum attributum est ab ideis divinis; tum etiam in artefactis; non enim ideo domus aliqua est vera domus quia respicit intellectum artificis, sed ideo potius respicit ideam artificis, quia vera domus est, scilicet tali materia, figura, et dispositione facta: ergo non constituit in illa habitudo vera domus, nam etiam illa relatione præcisa, et manente toto absoluto illius artefacti, vera domus manebit.

XXXIII. Respondetur distinguendo majorem. Veritas transcendentalis debet consistere in eo quod superaddit ad ens tamquam in constitutivo formali, et adæquato sui, nego; tamquam in connotato, aut modo requisito ut distinguatur proprietas veritatis transeat. Cujus ratio est, quia formale constitutum veritatis transcendentis etiam aliquid transcendentale esse debet, quia ipsa formaliter transcendentalis est,

et passio entis realis. Unde quia passio est entis realis, non potest formaliter esse ens rationis, sic enim esset nihil in re, et quid fictum; passio autem quæ formaliter est nihil, formaliter non est passio: et quia transcendentalis est formaliter, debet imbibere in ipso ente, et in se imbibere ipsum ens, alias transcendentalis non esset. Certe cum veritas sit id quo formaliter ens segregatur ab ente ficto et a falso, magnum absurdum est ipsam veritatem formaliter constitui aliquo ente rationis quod fictum est. Quare in transcendentalibus non sunt assignandæ propriæ passionēs, sicut in aliis particularibus entibus, in quibus passionēs dimanant ab essentia, et sunt alia entitas ab ipsa distincta; in transcendentalibus autem cum etiam ipsa passio transcendentalis sit, et enti æqualis, oportet quod in ipso ente imbibatur veritas, et entitas in veritate: solum ergo addere debet unus conceptus ad alterum, non in aliquo formali constitutivo talis transcendentia, sed in aliquo connotato, quo posito, illamet entitas quæ secundum se, et absolute sumpta se habet ut subiectum, sub illo connotato præsupposito, sumpta comparative, seu ut fundans tale connotatum, est proprietas sui ut absoluta entitas est. Sic ergo veritas, et entitas distincto conceptu concipiuntur, non quia unum formaliter non includat aliud, sed quia per unum modum, et sub una connotatione exprimitur entitas in uno sub qua non exprimitur in alio, quæ connotatio non est aliquid reale, sed rationis, necessario tamen requisitum ut unus conceptus sic distinguatur ab alio, scilicet per diversum modum exprimendi eandem entitatem, quia inter transcendentalia, quæ se intime imbibunt, non potest alio modo formari distinctio, nisi sub istis connotatio-

nibus, et respectibus sic diversimode experimentibus.

XXXIV. Ad primam confirmationem jam supra diximus, quod veritas prima non est veritas mensurata, sed mensurans, utpote prima, et summa, et sic non per modum adæquationis, sed summæ identitatis conformatur cum intellectu divino. Veritas ergo transcendentalis in communi ut abstrahit a creatura, et increata, dicit conformitatem cum divino intellectu, abstrahendo a conformitate per regulationem, sicut in creatura, vel per summam identitatem, sicut in Deo.

XXXV. Ad secundam confirmationem respondetur procedere illud argumentum de relatione prædicamentali, sive secundum esse fundata super entitate rei, non de transcendentali creatura, quæ ex se, et ex intrinseca ratione sua, et non per relationem distinctam superadditam respicit Deum tamquam ens participatum, et derivatum ab illo, sicut materia per suam entitatem respicit formam, et forma materiam, et potentia objectum relatione transcendentali, quæ non supponit aliam entitatem priorem super quam fundetur, sed ipsa per se respicit, et ordinatur ad aliam ex intima entitate sua. Sic ergo habitudo veritatis ad Deum non est fundata super entitatem creatam, sed est ipsa entitas ut creatura, id est, ut regulata, formata, et determinata a Deo per ideas. Idem dicitur de artefactis creatis, quæ sunt effectus artificis: nam secundum suam entitatem intrinsecam constituuntur ut dependentes, et derivatæ ab idea sua, et sic transcendentali relatione respiciunt ipsam, sicut alii effectus suam causam, licet superaddatur respectus prædicamentalis, qui etiam intervenire potest inter effectum et causam, sicut inter filium et patrem. Sed per hunc non constitui-

tur intrinsece veritas entitativa, quæ communis est omni prædicamento, et entitati; sed supponitur, nec est aliud quam ipsa entitas ut a tali causa. Unde relatio prædicamentalis inter effectum, et causam solum est ad causam existentem; transcendentalis autem manet etiam non existente causa, quamdiu manet entitas effectus ut causata.

XXXVI. Tertio, arguitur ad probandum quod veritas transcendentalis non dicatur per ordinem ad intellectum divinum. Non ad cognoscendam veritatem rerum, v. g. verum aurum, aut lapidem, non recurrimus ad exemplaria divina, sed ad prædicata quidditativa, et definitionem talis rei, an illi conveniat necne, et tunc judicatur verum aurum, quando illi convenit definitio, et proprietates veri auri; ad ideas autem divinas non recurrimus, quia illis uti non possumus tamquam mensuris ad notificandum nobis veritatem rerum: ergo in aliquo alio præter relationem ad ideas debet poni commensuratio veritatis. Ex alia autem parte sufficienter explicatur veritas rei per hoc quod alicui conveniat sua definitio cum negatione entis ficti seu falsi, cum ipsa veritas non sit minus absoluta, quam quidditas, et hæc sine habitudo aliqua ad extrinsecam causam, seu ideas explicatur, sed per sua intrinseca constitutiva. Ad quid ergo recurrimus ad istam relationem ad ideas pro explicanda formali ratione veritatis?

XXXVII. Confirmatur, quia in ordine ad intellectum divinum non sumitur falsitas rei: ergo neque veritas. Consequentia patet, quia veritas, et falsitas versantur circa idem, cum sint opposita. Antecedens vero constat, tum quia idea divina est indeficiens, et infallibilis, non falsa; tum quia Deus est universalissimum agens totius entis: unde si ab una